



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica Septuagesimæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

*rit, majus est.* Cogitatio prava (teste S. Bern.) parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem. O periculosam negligentiam in rejiciendis cogitationibus primis! sapiemus utique? fili! sed quomodo?

*Instructio meritoria.*

En! medium suggero. Adest tentator! arripiamus citò Crucifixum! vel confugiamus ad Ecclesiam, flexisque genibus psalmum intonemus ex Completorio: *Qui habitat in Adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur, & 33.* exosculabimur Jesum. Crucifixi oscula sunt arma, quibus pellitur hostis.

Dominica Septuagesimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**ROcul ò fili! cum pigritia! en! primò manè jam exiit Jesus conducere operarios in vineam suam. Ergò & nobis non sit vanum, manè surgere  
ante

ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.

*Instructio meritoria.*

Auditô primô excitationis signô statim deseramus lectum, & flexis genibûs matutinam persolvamus salutationem Angelicam. A Jesu, & Maria principium!

II.

**R**eprehenduntur hodie otiosi homines: *Quid hîc statis?* & meritò: Non enim hæc vita tempus est otiandi; sed laborandi. Homo nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum. Qui non laborat, non manducet. O fili! quæ, vel cujus hæc monita? Christi sunt, & Spiritûs Sancti.

*Instructio meritoria.*

Exequamur, & in Divinis obsequiis specialiter alacres simus, augendo pensum pietatis Christianæ præter ordinarium Rosarium addendo & alterum pro fervore omnium fidelium, præsertim Religiosorum. Qui sibi bonus, erit & aliis.

B 3

III. Quid

## III.

**Q**uid sibi hoc? ultimi æquè ac primi accipiunt singulos denarios. Hæcne æqualis dispensatio? aut retributio? en! ò fili! non *quamdiu*, sed *quam bene*, quàm fervidè & constanter serviamus Deo, interest. Consummatus in brevi potest explere tempora multa, & lucrari mercedem magnam in cœlo. Servimus: Sed quomodo?

*Instructio meritoria.*

Citò redimamus, quæ tam sæpè prodegimus, pretiosa tempora, intendendo fervorem, & devotionem ergà Deum. In satisfactionem negligentiarum omnium nostrarum persolvamus Litanias Majores. Qui multum orat, magna impetrat.

## Dominica Sexagesimæ.

## EXHORTATIUNCULA I.

**N**onne genuini Filii est, defendere Patrem? nonne & fidelis servi protegere Dominum. Ecce! instant periculosa Bacchanaliorum tempora, quibus